

tempore Rosaria benedicendi, atque illis consuetas Indulgentias applicandi ».

2.<sup>o</sup> *Utrum quando Stationes Viae Crucis canonice erectae designantur per depictas Imagines, Indulgentiae dictae Viae Crucis sint adnexae praedictis Imaginibus, an vero loco ipsi in quo collocantur?*

Sac. Congregatio respondit « Negative quoad utramque partem; etenim Indulgentiae Crucibus tantum sunt adnexae, quae quidem tantum sunt benedicendae, minime vero Imagines per quas designantur Stationes ».

3.<sup>o</sup> *Utrum quando praedictae Imagines de loco primo amoventur, et in alio reponuntur, eo ipso cessent Indulgentiae?*

Respondetur « Affirmative, si verbum sit de Crucibus, ut in secundo dictum est ».

4.<sup>o</sup> *Utrum in praedicto casu Indulgentiae remaneant affixae loco primo, an vero sequantur Imagines?*

Respondetur « Si Stationes Viae Crucis per Cruces erectae a loco removeantur, ubi canonice erectae fuerint, et in alium transferantur, Indulgentiae nec primo loco affixae remanent, nec Cruces sequuntur, sed nova canonica erectio requiritur ».

5.<sup>o</sup> *Utrum quando praedictae Imagines primitus benedictae omnino pereunt, aut penitus tolluntur, sufficiat ipsarum loco substituere novas Imagines cum simplici benedictione sine nova erectione, an vero necessaria sit nova facultas erigendi?*

Respondetur « Si Cruces primitus benedictae omnino pereunt, iterum canonica erectio necessaria est; si pereant ex minori parte, licet alias illis substituere absque ulla benedictione; si penitus tolluntur aliqua peculiari ratione, et ad tempus tantum ut denuo eidem loco restituantur, nec erectione, nec benedictione opus est ad Indulgentias lucrificandas ». Ita declaravit Sac. Congregatio die 30 Januarii 1839.

CDLXXXVII.

MONTIS REGALIS

*N. N. Dioecesis Montis Regalis tria haec dubia Sac. Congregationi proposuit enodanda.*

1.<sup>o</sup> *An Indulgentiae concessae visitantibus Viae Crucis Stationes, datae sint ob Christi Domini Passionis meditationem contemplandam in genere, an vero taxative pro meditatione illarum Stationum quatuordecim, quae a fidelibus generaliter cognoscuntur?*

Sac. Congregatio respondit « Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam ».

2.<sup>o</sup> *Et quatenus affirmative quoad primam partem superioris quaesiti, an possint illis jam cognitae aliae Stationes subrogari tenoris sequentis.*

1.<sup>a</sup> *Pater si vis, transfer Calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat (S. Luc. XXII. 42.)*

2.<sup>a</sup> *Juda, osculo filium hominis tradis (ibid. 48.)*

3.<sup>a</sup> *Jesus ad Caipham alapam accepit (S. Jo. XVIII. 23.)*

4.<sup>a</sup> *Petrus negavit Jesum (S. Matth. XXVI. 69.)*

5.<sup>a</sup> *Jesus coram Herode (S. Luc. XXIII. 11.)*

6.<sup>a</sup> *Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit (S. Jo. XIX. 1.)*

7.<sup>a</sup> *Et plectentes Coronam de Spinis (S. Matth. XXVII. 29.)*

8.<sup>a</sup> *Pilatus lavit manus coram populo (ibid. 24.)*

9.<sup>a</sup> *Ecce Homo (S. Jo. XIX. 4. 5.)*

10.<sup>a</sup> *Et bajulans sibi Crucem (S. Jo. XIX. 17.)*

11.<sup>a</sup> *O Vos omnes qui transitis per viam etc. (Thren. I. 12.)*

12.<sup>a</sup> *Et inclinato capite tradidit Spiritum (S. Jo. XIX. 30.)*

13.<sup>a</sup> *Et depositum involvit Sindone (S. Luc. XXIII. 52.)*

14.<sup>a</sup> *Et posuit illud in Monumento (S. Matth. XXVII. 59.)*

Sac. Congregatio respondit « Negative » Innocentius enim Papa XII approbavit, et approbatum [declaravit exercitium visitandi *Pia Loca Viae Crucis, seu Calvarii ad recolendam et meditandam Christi Domini Passionem ad instar Stationum Calvarii Montis erecta*, et participes fecit Indulgentiarum, et Privilegiorum omnes exercitium Viae Crucis hujusmodi peragentes.

Benedictus vero XIV. (Constitutione « *Cum tanta* » easdem Indulgentias confirmavit pro visitantibus *Pia Loca Viae Crucis, seu Calvarii nuncupata ad instar Stationum Montis Calvarii.*

Clemens tandem XII. Huic Sac. Congregationi mandavit nonnulla monita publicare pro devoto Viae Crucis exercitio hisce verbis « *Che cioè devono erigersi nella forma consueta, e fin ora praticata nell'Ordine dei Frati Minori, e che sieno quattordici le Stazioni etc. e che chiunque s'impiegherà a meditare la Passione in questo Santo Esercizio, acquisterà le stesse Indulgenze, che acquisterebbe se visitasse le Stazioni della Via Crucis di Gerusalemme* » Ex quibus clare patet non esse liberum cuique statuere qualitatem Stationum, sed Indulgentias fuisse concessas taxative pro quatuordecim Stationibus Viae Crucis jam cognitis, atque probatis, proindeque standum in decisis.

3.<sup>o</sup> *An sit necessarium pro consideratione hujusmodi Mysteriorum Passionis nonnullas Meditationes, Preces, et Aspirationes componere eisdem Mysteriis correspondentes?*

Sac. Congregatio respondit « Negative quoad necessitatem; expediens tamen erit legere meditationes, seu preces illis Passionis Mysteriis correspondentes: sic enim habet citatum monitum jussu Clementis XII emissum » *Che praticandosi l' Esercizio della Via Crucis privatamente non è necessario recitare sei Pater ed Ave ad ogni Stazione, come alcuni suppongono, ma basti meditare, benchè brevemente, la Passione del Signore, che è l'opera ingiunta per fare acquisto delle SS. Indulgenze; ed alle persone semplici basterà il pensare in qualche modo, conforme alla loro capacità, alla suddetta Passione, benchè si esortino tutti, senza però obligarli a recitare un Pater, ed Ave ad ogni Croce, e fare un atto di Contrizione, conforme all'uso introdotto* « Et ita declaravit, et confirmavit Eadem Sacra Congregatio die 16 Februarii 1839 ».

CDLXXXVIII.

PARISIEN.

*Dubia circa Rescriptum Indulgentiarum, quas concessit Sanctissimus Dominus Noster Gregorius PP. XVI Cathéchismo Perseverantium Juvenum Parochiae San-Sulpitanae Parisiensis.*

1.<sup>o</sup> *An sub nomine Congregationis Juvenum, cui ex Rescripto concessae sunt Indulgentiae, intelligantur omnes de quibus mentio fit in precibus?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative ».

2.<sup>o</sup> *An necesse sit, ut Catechismi Juvenum perseverantium ad quos extendi possunt praedictae Indulgentiae, sint ad normam Catechismi, id est, ut inter Juvenes perseverantes sint socii Sanctissimo Sacramento addicti?*

Sac. Congregatio respondit « Negative ».

3.<sup>o</sup> *An necesse sit, ut Juvenes perseverantes Catechismorum nostro Catechismo aggregatorum sint a puellis perseverantibus separati?*

Sac. Congregatio respondit « Negative ».

4.<sup>o</sup> *An sub vocibus istis Rescripti « Servato in omnibus etiam quoad tempus tenore primarum concessionum » intelligatur nihil aliud, nisi quod istae Indulgentiae sint in perpetuum concessae, et fidelibus defunctis applicabiles?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative ».

Et ita declaravit die 26 Februarii 1839.

CDLXXXIX.

VIVARIEN.

*Vicarius Generalis, et Officialis Dioecesis Vivarien. exponit quod juxta Rescriptum Sac. Congregationis Indulgentiarum datum die 15 Januarii 1839. simplici Coronae precatiorae quinque, scilicet, vel quindecim decadibus constanti, adnecti non potest Indulgentias S. Birgittae nuncupatas, nisi hoc Apostolica dispensatione indulgeatur. Quaerit nunc utrum haec dispensatio, quae ut supra requiritur, in sequenti concessione contineatur; videlicet « Sanctissimus etc. Oratori est elargitus facultatem benedicendi Cruces, Crucifixos, Sacra Numismata, et Coronas precatiorae; Eisdemque applicandi omnes, et singulas Indulgentias a Sanctitate Sua concessas, ut in elencho Typographiae R. C. A. edito anno 1834; ac etiam Indulgentias S. Birgittae nuncupatas ». Quaerit insuper, utrum Indulgentiae applicari*

*possint Coronis precatoriis Chalibe polito (acciajo polimentato) factis?*

Sac. Congregatio respondit « Ad primum, et secundum « Affirmative ». Die 22 Martii 1839.

CDXC.

MELITEN.

*Caeremoniarius Ecclesiae Cathedralis Dioecesis Meliten. quaerit a Sac. Congregatione. An Sacerdos, qui gaudet privilegio Altaris personalis, si aggregatus alicui Congregationi, quae etiam dicto privilegio gaudet, possit adhuc frui hoc alio privilegio, cum aliunde jam habeat per tres, aut quatuor vices in hebdomada tale privilegium?*

Sac. Congregatio respondit, auditis quoque Consultorum votis « Affirmative, dammodo in Indultis, de quibus mentio fit in ipso dubio, aliter expresse non disponatur ». Die 27 Maii 1839.

CDXCI.

INCERTI LOCI

1.<sup>o</sup> *Quando Coronis B. M. V. de licentia S. Sedis Apostolicae applicata fuit benedictio cum Indulgentiis Divae Birgitae nuncupatis, fideles illas Coronas recitantes tenenturne meditari quindecim Mystera D. N. J. C. ut Indulgentias percipere valeant?*

Sac. Congregatio respondit « Negative ».

2.<sup>o</sup> *Daturne eadem obligatio Mystera meditandi, quando Coronis applicata fuit benedictio cum Indulgentiis ordinariis?*

Sac. Congregatio respondit « Negative, si benedictio respiciat Indulgentias consuetas, quae citantur ut in elencho ex Typographia R. C. A. anno 1831 edito »; Affirmative si Coronae benedicantur cum Indulgentiis pro recitatione Rosarii ».

3.<sup>o</sup> *Si affirmative respondeatur, oblatio specialis Mysteriorum debet ne fieri antequam singulae decades recitentur?*

Respondetur « Negative ».

4.<sup>o</sup> *Debet ne fieri mentio specialis Mysterii in recitatione Salutationis Angelicae, dicendo, verbi gratia, post haec verba: Ventris tui Jesus haec alia: quem concepisti, vel quem visitando Elisabeth, vel quem peperisti etc.?*

Sac. Congregatio respondit « Negative, quia quando requiritur meditatio Mysteriorum pro acquirendis Indulgentiis, sufficit meditatio mentalis eodem tempore quo recitantur Oratio Dominicalis, et Angelicae Salutationes, ut ex alio Decreto Sacrae hujus Congregationis diei 12 Augusti 1726 in quo etiam mentio fit de personis idiotis, pro quibus sufficit tantum recitatio Rosarii absque Mysteriorum meditatione ».

5.<sup>o</sup> *Est ne libera electio Mysteriorum, quae honorari debent in recitandis Coronis B. M. V., aut dantur ne dies stricte determinati pro tali, vel tali genere Mysteriorum recolendo, ita ut tali die determinato recolere debeant Mystera Gaudiosa, tali die Dolorosa, tali die Gloriosa?*

Respondetur « Affirmative quoad primam partem; quoad vero secundam, invaluit consuetudo (ut per girum cujuslibet hebdomadae singula Mystera percurrantur) recolendi Gaudiosa nempe in secunda, et quinta feria: Dolorosa in tertia et sexta: Gloriosa tandem in Dominica, quarta feria, et sabbatho, si tamen tertia tantum Rosarii pars in qualibet die recitetur ».

6.<sup>o</sup> *Quando Summus Pontifex Indulgentiam quamlibet concedit Urbi, et Orbi, ut fideles talem Indulgentiam in variis Dioecesibus lucrari possint, requiritur ne ut haec Indulgentia ab Ordinariis Locorum promulgetur, an sufficit e contra ut certi sint praedictam Indulgentiam a Summo Pontifice fuisse concessam?*

Respondetur « Negative quoad primam partem « Affirmative quoad secundam ». Die 1 Julii 1839.

CDXCII.

RHEDONEN.

Instabat Rhedonensis Antistes ad Sacram hanc Indulgentiarum, et Sacrarum Reliquiarum Congregationem, ut opportune

aliquid decernendum curaret circa authenticitatem corporis Beati Joannis nuncupat. *De la Grille*, quod ab immemorabili tempore a fidelibus venerabatur quodque ob gallicam perturbationem ante annum 1793 ab Ecclesia in qua servabatur ablatum, etsi a nonnullis Ecclesiasticis viris tandem obtentum, et caute custoditum, tamen tempus amotionis ejusdem corporis ipsum Episcopum Oratorem in dubium non leve vocavit de identitate, atque authenticitate praefati corporis, nunc iterum ad eandem Ecclesiam restituti; Sacra igitur Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praeposita, visis, et exploratis exhibitis documentis, auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, declaravit « *Constare de identitate, et authenticitate corporis Beati Joannis* » ac propterea publicae iterum fidelium venerationi exponendum esse censuit, dummodo tamen ipse Episcopus Orator signa recognoscat Capsulae, quae Sacrum Corpus includit, vel quatenus opus sit, denuo suis signis authenticet, dimisso penes Ecclesiam, in qua custoditur, testimonio recognitionis authenticitatis Ejusdem, ne in posterum novum dubium exoriatur. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis Indulg. die 10 Septembris 1839.

C. CARD. CASTRACANE PRAEF.  
H. *Ginnasi Secret.*

CDXCIII.

ANICIEN.

Postulaverat Ecclesiae Aniciensis Antistitis ab Apostolica Sede renovationem Indulgentiae Plenariae, quae inter gratias, quibus ipsa Ecclesia fuerat ditata, celebris et singularis eminebat in forma Jubilaei, quaeque lucrificanda fidelibus proponebatur in festivitate et octiduo Beatissimae Virginis ab Angelo Annunciatae, praesertim quando haec ipsa festivitas cum sexta feria Majoris Hebdomadae concurrat. Hinc est quod Sanctissimus Dominus Noster Gregorius PP. XVI ejusdem Antistitis precibus inclinatus, cum Indulgentias Jubilaei nisi ex expresso ejus mandato, si opportunum judicaverit, indiciendas omnino prohibuit, supraenun-

ciatam Indulgentiam Plenariam confirmatam esse voluit, minime vero in forma Jubilaei, tam pro festo, quam pro octiduo Annunciationis, unica dumtaxat vice praefatorum dierum spatio per unumquemque Christifidelem acquirendam; dummodo tamen rite dispositi fuerint, coeterasque appositae conditiones adimpleant, ac servant; facta demum potestate praedictam Indulgentiam animabus in Purgatorio detentis per modum suffragii applicandi. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 10 Septembris 1839.

C. CARD. CASTRACANE PRAEF.  
H. *Ginnasi Secret.*

CDXCIV.

AGENNEN.

*Vicarius Generalis Dioecesis Agennen. expostulat solutionem nonnullorum dubiorum de Indulgentiis, quibus gaudet Via Crucis rite erecta.*

1.<sup>o</sup> *An pereant Indulgentiae cum Cruces, vel Imagines quatuordecim Stationum aut partim, aut integre, quacumque de causa e loco suo amoveantur etiam ad breve tempus?*

Sac. Congregatio respondit « Si Cruces, vel Imagines quatuordecim Stationum Viae Crucis aut partim, aut integre e loco suo moveantur ad tempus, ut denuo eidem loco restituantur, Indulgentias non perire ».

2.<sup>o</sup> *An pereant, cum novae Imagines, servatis Crucibus, aut vice versa, novae Cruces, servatis Imaginibus, in locum aliarum pariter aut partim, aut integre sufficerentur?*

Respondetur « Indulgentiae Viae Crucis Crucibus tantum sunt adnexae, minime vero Imaginibus, quae necessariae non sunt: hoc posito, si Cruces primitus benedictae omnino pereant, vel tollantur, iterum nova erectio, et benedictio requiritur ad acquirendas Indulgentias, si vero pereant, vel tollantur ex minori parte, licet alias illis substituere absque ulla nova erectione, et benedictione; ideoque Indulgentias perseverare ».

3.<sup>o</sup> *An pereant, cum Ordo Crucium, et Imaginum potiori modo disponeretur, et generatim quoties mutatio quaedam fieret et quidem in melius?*

Respondetur « Circa ordinem, et dispositionem Crucium, et Imaginum, Indulgentias non amitti, dummodo tamen Stationes visitandae illae sint, quae hucusque ab universis Christifidelibus dignoscuntur » Ita declaravit Sac. Congregatio die 20 Septembris 1839.

CDXCV.

CLAROMONTEN.

*Episcopus Claromontensis gaudet facultate erigendi Stationes Viae Crucis sive per se, sive per suos Vicarios Generales, sive per Parochos; quaerit a Sac. Congr. an quivis Parochus subdelegari possit ad effectum de quo agitur in omnibus, et singulis Dioecesis Parochiis, aut in sua tantum Parochia?*

Sac. Congregatio respondit « Cum Episcopo data sit facultas ab Apostolica Sede subdelegandi etiam Parochos indiscriminatim ad effectum erigendi Stationes Viae Crucis in Ecclesiis, Oratoriis etc. Idem Episcopus potest subdelegare quemvis Parochum non modo in sua respectiva Parochia, sed in qualibet Ecclesia Parochiali etc. prout in Domino opportunum judicaverit » Die 23 Septembris 1839.

CDXCVI.

CLAROMONTEN.

*Idem Episcopus quaerit « An ad lucrandas Indulgentias S. Scapularis necesse sit, ut una pars ab humeris, altera a pectore dependat, an vero sit sufficiens ipsum deferre absque distinctione circa modum? »*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative quoad primam partem » Negative quoad secundam. Die 12 Februarii 1840.

CDXCVII.

LEMOVICEN.

*Vicarius Generalis Dioecesis Lemovincensis expostulat a Sacra Congregatione solutionem dubiorum, nempe.*

1.<sup>o</sup> *Color Taneus pro Scapularibus benedicendis, et imponendis fidelibus tam stricte nec ne juxta regulas praescriptus est, ut diversitas coloris admissionem in dictam Confraternitatem nullam, irritamque reddat?*

2.<sup>o</sup> *Hujusmodi coloris diversitas suspendit ne saltem fruitionem Indultorum, et Indulgentiarum quae adscriptis in dictam Confraternitatem, et gestantibus Scapulare Tanei coloris sunt concessae?*

Sac. Congregatio auditis quoque Consultorum votis respondit « Negative quoad utrumque dubium, dummodo colori vulgo Tanè subrogetur tantum alter consimilis, seu niger » Die 12 Februarii 1840.

CDXCVIII.

INCERTI LOCI IN GALLIA

*Jacobus Parochus habens in Parochia sua Confraternitatem Sancti Scapularis docet fideles suos, ut plures ad illam Confraternitatem attrahat, nihil ob stare pro quibuscumque etiam Officium divinum non recitantibus, pro lucrandis Indulgentiis.*

1.<sup>o</sup> *Si abstinentiam in feria quarta non servant.*

2.<sup>o</sup> *Nec si septem Pater, et Ave in singulis diebus non recitent.*

3.<sup>o</sup> *Si utrumque panniculum sancti habitus ex eadem parte pendentem et simul junctum deferant.*

4.<sup>o</sup> *Si eundem sanctum habitum non supra pectus portent, sed ab humero transversim sub brachio quolibet.*

*Quaeritur de singulis utrum cum mente Indulgentias concedentis concordent?*

Sac. Congregatio respondit « Posse fideles Confraternitati sacri Scapularis adscriptos frui omnibus Indulgentiis generaliter a

Summis Pontificibus concessis utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem ingredientur, et habitum legitime receperint; licet nec servent abstinentiam a carnibus feria quarta, nec septies in die Orationem Dominicalem, et Angelicam Salutationem recitent; dummodo dicant orationes praescriptas, et peragant opera pia a Summis Pontificibus in concessione earumdem injuncta; inter quae illud locum habet, ut parvum Scapularè deferant continuo pendens a collo, unaque sui parte pectus, et altera Scapulas contegens. Ita declaravit Sac. Congr. Die 12 Februarii 1840.

CDXCIX.

CAMERACEN.

*Quidam Parochus Dioecesis Cameracensis facultatem habet imponendi Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo; quaerit a Sac. Congr. utrum sibimet illud possit imponere?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative quatenus haec facultas habeatur indiscriminatim, minime vero taxative, ex. gr. pro aliqua Monialium communitate tantum etc. » Die 7 Martii 1840.

D.

INCERTI LOCI IN GALLIA

*Quaeritur in Sacra Indulgentiarum Congregatione:*

1.<sup>o</sup> *Utrum Sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando Ritus Ferae, vel cujuscumque Sancti, etiamsi non sit semiduplex, aut duplex?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative »

2.<sup>o</sup> *Utrum qui privilegium habet, personale pro quatuor Missis in hebdomadis singulis, debeat cum paramentis colore nigro celebrare diebus non impeditis, ut possit Indulgentiam Plenariam pro animabus defunctorum lucrari?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative »

3.<sup>o</sup> *Utrum qui celebrat in Altari Privilegiato pro singulis diebus, debeat semper uti paramentis nigris diebus non impeditis, ut Indulgentiam Privilegii consequatur?*

Sac. Congregatio respondit « Ut in secundo »

4.<sup>o</sup> *Utrum ad lucrandam Indulgentiam Plenariam Orationi: O bone, et dulcissime Jesu etc. concessam, necesse sit aliam orationem addere pro intentione Summi Pontificis?*

Sac. Congregatio respondit « Negative »

5.<sup>o</sup> *Utrum ad Indulgentias applicandas Crucibus, Rosariis etc. alius ritus sit necessarius praeterquam signum crucis a sacerdote qui hanc facultatem accepit, factum?*

Sac. Congregatio respondit « Negative »

6.<sup>o</sup> *Utrum Indulgentia concessa cadat solum in Christo ex aere, ligno, vel alia quaque materia facto, ita ut possit ex una Cruce in aliam transferri absque periculo amittendi Indulgentiam ipsi collatam?*

Sac. Congr. respondit « Affirmative » Die 11 Aprilis 1840.

DI.

LEMOVICEN.

*Episcopus Lemovicensis facultatem obtinuit impertiendi bis in anno Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria; sed in Ritu, et Formula hujus benedictionis praescribitur inter coetera ut legantur Litterae Apostolicae ad hoc concessae, ante benedictionem impertiendam, atque etiam post benedictionem impertitam publicetur latino, et vernaculo idiomate concessio Plenariae Indulgentiae. Mos autem in Ecclesia Lemovici a multis annis est, ut lectio Litterarum Apostolicarum supprimatur ne diutius populus in Ecclesia retineatur, loco vero Litterarum legitur latino, et vernaculo idiomate formula « Attentis facultatibus etc. ut de delegatione constet: quaerit an hic Ritus, et forma sufficiat ad lucrandam Indulgentiam Plenariam?*

Sac. Congregatio respondit « Ritus, et formam, de quibus in precibus, attenta rationabili causa supra exposita, revera sufficere ad lucrificandam Indulgentiam Apostolicae benedictionis, dummodo per formulam « Attentis facultatibus etc. » Fidelibus constet ex Pontificia Delegatione tantum impertitam fuisse » Et ita Sac. Congr. auditis quoque Consultorum votis declaravit. Die 30 Junii 1840.